



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Decisiones Practicæ Casuum Conscientiæ Selectorum In Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum**

Pars Altera Decisionum Practicarum Casuum Conscientiæ Selectorum In  
Praxi, Et Foro Interno Quotidie Occurrentium, Omnibusque, Præsertim  
Ecclesiasticis, Qui Sui, Et Aliorum Curam Gerunt, Perutilium, Resolutorum

**Leonardelli, Bonaventura**

**Augustæ Vindelicorum ; Græcii, 1739**

Casus XXXV. De Confessione, & Communionem muti simul, & surdi à  
nativitate.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41144**

qui actus sunt boni ex proprio ob- secro actus imperantis, ut fuse  
jecto, mali autem ex fine extrin- probat Lug. l. c.

## CASUS XXXV.

*De Confessione, & Communionem muti simul,  
& surdi à nativitate.*

**J**udas mutus, & surdus à nativitate, adultior factus tempore Paschali post tusionem pectoris, & aliquot suspiria coram ostenso Crucifixo edita, fuit à suo Parocho absolutus, & ad S. Communionem admissus per complures annos. Postquam autem Parochus ex aliorum relatione certò intellexit, Judam contrahere consuetudinem de die & nocte furandi ex alienis hortis, & agris, curavit, ut ejus domestici illum jam 40. annos natum à furtis per minas, & signa eidem magis nota deterrent, sed cum nulla appareant emendationis signa, hocque notum sit Parochianis, Parochus à tempore jam trium annorum Judæ licet coram aliis sæpius suo modo instanti, & quasi urgenti, absolutionem tamen negat, & Communionem.

*QUÆR. I. An Parochus bene fecerit prima illa vice Judam surdum simul & mutum absolvendo, eumque admittendo ad S. Communionem?*

*QUÆR. II. An bene postea ei negaverit absolutionem; & S. Communionem ob contractam eam furandi consuetudinem, sitque tale medium ulterius continuandum?*

*QUÆR. III. An Judas Surdus simul, & mutus à nativitate contrahere potuisset matrimonium?*

205 **A**D I. Q. R. rectè fecisse Parochum admittendo Judam mutum, & surdum ad utrumque Sacramentum, Pœnitentiæ; & Eucharistiæ, quia quantum ex adjectis, & per scriptis circumstantiis apparet, utriusque capax fuit, & quidem quoad Sacramen-

cramentum Pœnitentiæ tenet communis DD, cum, & apud Sanchi. l. 1. de matr. D. 8. imò eum ad Confessionem teneri, docent Cajetan, in Sum. V. Confessio condit, 11. Tolet. l. 3. c. 6. Navar. in c. fratres, d. 5. de Pœnit. alique, quia mutus & Surdus per nutus, alidque signa sufficienter potest aliqua saltem peccata exprimere, puta, iræ, impatientiæ &c. quæ sui accusatio per aliquod signum manifestata est vera confessio, ut notat cirt. Tolet. Plerumque enim tales volunt & intendunt facere id, quod ab aliis fieri vident, videlicet, quod cum dolore, & gemitu ad Confessarium accedant accusantes se de peccatis suis &c. quod & ipsi deprehendere possunt, ac solent tum aliorum exemplo, tum ex nutibus, & signis, quæ ab aliquo instructore ipsis adhibentur.

Advertit tamen hîc Laym. l. 5. tr. 4. c. 4. non esse talem absolvendum, excepto mortis periculo, etiam si signa doloris edat, nisi unum saltem peccatum in specie v. g. iræ, impatientiæ, per consuetum aliquod signum, seu nutum aperiat, quia, licet specifica, & particularis peccatorum explicatio non sit de necessitate Sacramenti, est tamen per se de necessitate præcepti Divini, quod pœnitentem obligat quamdiu, & quatenus servari potest.

Quoad Sacramentum Euchari-

sticiæ id ipsum docent Palao tr. 21. pun. 10. n. 9. Abb in c. cum apud, n. 6. de sponsal Laym, l. c. Gobat, tr. 4. cas. 7. Dian, alique, afferentes, mutis, & turdis à nativitate, quando ex signis, nutibus, aliisque indicis constat discretionem habere, & panem cœlestem sufficienter à profano discernere, non solum in articulo mortis, sed etiam tempore Paschatis concedendam esse S. Eucharistiam; quia licet tales distinctè edoceri, atque intelligere omnia non possint, quæ ad substantiam Sacramentorum concurrunt, sufficit tamen, si aliorum exemplo, & magisterio instructi sciant hunc spirituales cibum discernere à corporali, & profano, neque necesse est, ut qualitatem hujus cibi perfectè agnoscat, sed satis est, si illum à profano ita distinguat, ut tanquam remedium suæ salutis accipiat, & veritatem hujus Sacramenti agnoscat saltem implicitè, credendo esse spirituale donum Dei ad animæ suæ salutem institutum, quod proinde accipere velit secundum illam intentionem, quâ ab aliis fidelibus, seu tota Ecclesia accipitur: imò nec satis liquet, an non talis surdus, & mutus speciali Dei auxilio adjutus mysterii hujus veritatem per exteriora signa agnoscat. Accedit, quod hujusmodi hominibus Eucharistia valde necessaria sit tum ad augmentum gratiæ, tum ad præcavenda peccata futura.

Ee 2

Quod

Quod si prudens Confessar'us non qualemunque discretionem, sed maturam, pietatem insuper, modestiam, & magnum illius desiderium in eo animadvertat, non solum in Paschate, sed etiam aliis solemnioribus testis Eucharistiam eidem concedere poterit, ut notat c. Palao; quia nulla apparet ratio, ob quam hæc sit ei deneganda; cum se ad illam suscipiendam per actualem devotionem disponere possit. Si tamen quis mutus, surdus, & simul cæcus à nativitate foret, non esse S. Eucharistiam eidem administrandam merito censent c. AA. eò quòd tales incapaces existant, tanti cibi dignitatem, & excellentiam cognoscendi.

206 Ad 2. Q. R. non fuisse hæc duo sacramenta Judæ aliàs ad eadem admitti solito deneganda ob eam furandi consuetudinem, quam per furta minuta contrahere scribitur, eò quòd ex una parte alia remedia ad eam deponendam adhiberi possint, aliàque pœnâ puniri, non spiritali hac gravissima, sed corporali, eàque ad emendationem efficaciori, magisque proficua, v. g. verberatione, aliave simili castigatione, cum deprehenditur furtim similia surripere. Ex altera parte Eucharistia, quâ tam longo tempore carere debet, sit ei maximè proficua, imò & valde necessaria ad præcavenda peccata futura; possitque se ad illam dignè

suscipiendam præparare ex propria consideratione eorum, quæ ab aliis fieri videt, vel per aliorum industriam ad illam disponi præmissa etiam Confessione, cujus omnia requisita hîc, & nunc habere potest, licet postmodum mutata voluntate relabatur, aliisque insuper etiam coram aliis præsentibus editis pœnitentiæ signis, per quæ scandalum, si quod fortè ex illius susceptione oriri posset, tolleretur. Accedit, quòd non videatur Judas graviter deliquisse per minuta illa furta successive tempore commissa, nisi fortè ab initio voluntatem habuisset notabilem quantitatem auferendi, nec satis agnoscere se lethaliter peccare Sacramentum eo in statu suscipiendo. Aliud tamen dicendum foret, si consuetudinem contraheret auferendi malitiosè summas graves, ita ut publicus peccator audiret, neque post seria monita, & castigationem adhibitam à peccato desisteret, idque aliis etiam constaret; quia Eucharistia, peccatori sive factò, sive jurè publico illam petenti, neganda est juxta unanimes DD. consensum, sive privatim petat, sive publicè, quia tunc petens nec jus verum, neque apparens habet petendi. Ubi maximâ opus est prudentiâ in repellendo peccatore à publica communione, ut notat Palao l. c. p. 20. eò quòd te incio potuerit peccatum suum retractâsse, illiusque serio pœnituisse, aliàque si quæ sunt, impedimenta sustulisse; præstat tamen

men, ut, cum peccatum tibi, & aliis notum sit, tibi quoque & aliis notus sit recessus ab eo, ut constet petentem Eucharistiam ad illius susceptionem dispositum esse: In articulo tamen mortis peccatori publico petenti non esse hoc Sacramentum denegandum, docet communis cum Suarez *D. 67. S. 6.* quia quisque præsumitur se tunc velle ritè disponere, & optimum, quod potest, animæ suæ remedium adhibere, scandalum quoque tollitur per extremam illam gravissimam necessitatem, vel per Ministrum Sacramenti pœnitentiam occultam moribundi ex hujus consensu manifestando, si opus esse videatur, id, quod Tambur *n. 24.* faciendum esse ait saltem tunc, quando ad moribundum Eucharistia publicè deferenda esset.

207 Ad 3. Q. non improbabiler censent Bald. *l. discretis n. 1. C. qui test. fac. post. Jas. n. 8. Anchar. n. 5. & alii*, mutum simul, & surdum à nativitate non posse matrimonium contrahere. Ratio est; quia non videntur tales habere posse legitimum consensum; nam licet ex naturæ instinctu norint, quid sit copula, illiusque ardore brutorum more premantur; quid tamen matrimonium sit, & quid importet, scire posse non videntur. 2. Quia mutus simul, & surdus à nativitate uxta *l. qui id, quod 34. S. Mutus verb. donare, ff. de donat.* donare non potest; ergo multò minùs inire

contractum sponsalium, & matrimonium. Verùm.

Contrarium probabiliùs tenent, siquidem talis homo perspicacis sit intellectùs, Cov. *4. decretal. 2. cap. 2. fin. Host. c. cum apud, vers. Surdus. Præposit. n. 5. Tabiena q. 6. n. 7. Greg. Lop. l. 5. tr. 2. p. 4. Card. n. 1. Alex. de Nevo n. 12. Sanch, l. 1. D. 8. aliique.*

Ratio est, quia cum ex una parte matrimonium nullibi eis prohibitum reperiatur, difficillimum esset eos compellere ad castè vivendum, & remedium ad libidinis ardorem compescendum à naturæ Authore concessum eis denegare: ex altera parte muti, & surdi tam perspicacis læpè & acuti sunt intellectùs, ut multa explicatu difficilima facilè signis manifestent, aliàque ipsis significata, & explicata facilè percipiant, & intelligant, ut docet experientia.

Conf. ex *c. cum apud de sp.* ubi ad quæstionem an mutus & surdus matrimonialiter copulari possint? respondetur sic in num. singulari, *si talis* (nempe mutus, & surdus, de quo erat quæstio) *velit contrahere, non debet sibi denegari.* Ubi cum in singulari loquatur, de muto simul, & surdo intelligendum esse videtur. Demum si surdus, & mutus potest esse capax Sacramenti Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, ut supra dictum est, non est, cur signis etiam edoceri

Ec 3 non

possit, ut, quid sit matrimonium, intelligere, & consensum signis indicare queat. Unde patet etiam responsio ad 1. rationem in contractum allatam.

Ad 2. R. id in jure Civili circa eos contractus expressum, & prohibitum esse, eò quòd muti simul & surdi aliàs facile decipi possent,

cùm difficile admodum sit eorum contractuum vim & naturam nosse. De contractu autem matrimoniali nullibi id prohibitum reperitur; essetque aliàs durissimum eos compellere continenter vivere, & remedium ad sedandum libidinis æstum à Christo institutum eis denegare, ut suprà insinuatum est.

## CASUS XXXVI.

### *De jurisdictione, & Casibus reservatis.*

**S**impson Parochus à Bonifacio vicino Parocho ad audiendas die Dedicacionis confessiones invitatus Summo mane comparet, sedetque pro tribunali, & pœnitentium Confessiones audit, inter quos advena quidam S. tribunal subit cum duplici gravi peccato, uno reservato Episcopo Diœcesis ipsius pœnitentis, altero reservato Episcopo in Diœcesi ipsius Confessarii. Simpson licet non nihil dubitaret, putans tamen se advenas, & peregrinos absolvere posse, eum ab utroque casu reservato absolvit sine alia obligatione se sistendi habenti potestatem in reservata.

*QUÆR. I. An peregrini, & advena habentes casum reservatum in sua Diœcesi, & transeuntes ad aliam Diœcesim, ubi non est reservatus, absolvi possint à quovis approbato Confessario?*

*QUÆR. II. An ùdem ab eodem absolvi possint, si peccatum sit duntaxat reservatum in Diœcesi Confessarii; non verò in Diœcesi pœnitentis, seu peregrini?*

*QUÆR. III. An peccare dicendus sit Simpson Sacerdos absolvens cum jurisdictione dubia, vel ex ratione probabili?*

Ad